

Epistola Dedicatoria.

aut quod ejus puritatem tot Summorum Pontificum Oraculis laudatam, & omnium partium studio non præoccupatorum calculo recognitam, commaculare possit. Hinc sub tuo Generalatu vides Sanctorum AUGUSTINI & THOMÆ, atque rotius retrò Antiquitatis inconcussa Dogmata de Gratia per te efficaci, & prædicatione gratuita, eò loco esse posita, ut spes non modica affulgeat brevi tandem futurum (ò utinam & nunc sit!) istis de Dogmatibus unum labium omnium fidelium. Sed quod Tibi maximè & meritò cordi est; cum jugiter attendis ut subditi tui juxta Ordinationem Capituli Nostri Generalis Romæ celebrati ann. 1656. Caveant ab omni pruritu exoticarum, minusq̃ cum Littera Sancti Thomæ coherentium opinionum, præcipue vero in moralibus, ubi pressius de salute ac indemnitate animarum agitur, & in his studeant omnes cavere opiniones laxas, novas, ac parum tutas, abstineantq̃ à paradoxis ac monstris recentium placitorum, seu problematum; que magis vanitati, ac periculose ostentationi militent, quàm veritati, id ipsum vides ab ipsis exactè observari, dum conspicias omnes universitatis Tuæ, Dominicanæ dico & Thomisticæ Scholæ Magistros & Professores illibatam Angelici præceptoris doctrinam ubique tradere ab omni laxitate longè remotissimam. Imò, sub tuo Generalatu à Tuis præstitum vides, quod in ardentissimis votis habere se dicebat P. M. Alexander VII. in intimo suo justissimoque animi mœrore quò eum afficiebant tot laxitates quæ jam inde ejus ætate Theologiam Christianam invaserant, ut ab aliquo Theologo Dominicanò Theologia Moralis componeretur ex purissimis D. THOMÆ Doctrinæ fontibus derivanda. Id inquam assatum præstitum vides à Tuis Ghetis, Mercoriis, Labatis, Gonetis, Contenfontis, Alexandris, alijsq; longa serie enumerandis præstantissimis Ordinis Nostri Theologis purioris doctrinæ Assestoribus & Vindicibus. Sed quid dico à Tuis? Eùm sciamus TE TER^{MO} PATER quàm Theologiæ Professore Emeritum, quàm Doctorem Egregium totius Orbis Christiani celeberrimis in Academicis id ipsum diu gnaviterque præstitisse, sive voce, sive scripto, tradendo purissimam D. THOMÆ doctrinam. Scimus Te nuper in Sacris Congregationibus validissimè stetisse pro purioris Moralis assertionem & defensione; unde & Tibi magnam laudem, Ordini Nostro ingentem gloriam, & toti Orbi Catholico ineffabilem gratiam comparasti. Tibi igitur Scholæ Thomisticæ propagatori, Vindici, Decori, Columini, Arbitro, refero quæ in fundo Thomistico edificavit, elaboravit, & magno Ecclesiæ bono, ac ejusdem Scholæ nostræ gloria immortaliter fructificavit FRANCISCUS SYLVIUS Universitatis Duacenæ Doctor præclarus, & Decus æternum; cujus cæteras laudes, quamvis infra meritum, at pro modulo meo prosequor in Epistola ad Lectorem. Quod cum Tibi acceptum futurum sperare liceat, unum mihi superest, ut post humillima manuum oscula, & humillimè petitam paternam benedictionem & protectionem tuam cum summa animi veneratione subscribar

REVERENDISSIME PATER MAGISTER GENERALIS

REVERENDISSIMÆ PATERNITATIS VESTRÆ

Humillimus Famulus & Obedientissimus Filius

F. Norbertus D'Elbecque.

Kalendis Aprilis 1698.

NOTÆ